



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fidvcia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 9. S. Ignatij Loyolæ in Deum fiducia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

numeros posset educere, tanquã è fonte quodam pereñi, aut potius fluuio & Pactolo auri. Fingunt hæc. Somnia sunt Parnassi. Felicior Hermannus fuit Fortunato. Sub lapide semper pecuniam reperit, quoties quæsiuit. Docuit ergo, non à Fortuna, sed à MARIA, eiusq; in primis Filio, opes sustentationi necessarias esse flagitandas. Neq; Midas Phrygiæ rex aurũ quæsiuit, vbi debuit: quæsiuit apud Deũ, sed falsum, & qui ad dilapidãdas, non cumulandas diuitias est opitulatur. De vera in verũ Deũ fiducia à S. nostro Ignatio discenda, infra memorabo: hinc pecuniæ insperatò suppeditatæ exempla è vita illius appono.

§. IX.

*S. Ignatij Loyola in Deum fiducia.*

*Roma, Petro Codacio nuper mortuo, & S. R. E. Cardinalibus, propter obitum Pauli III. Pont. Max. in noui Pontificis electione occupatis, inopia nostri premebantur: quibus extremam etiam famem metuebant multi, humana ratione rem aestimantes. Ignatius verò eo ipso tempore familiam suam auxit, & intra paucos dies, plurimos Societatis Candidatos in Societatem admisit: multis eius animum admirantibus, quibus, quod consecutũ est, admirationem ademit. Nam hoc ipso tempore cum aliquando*

Ouid. lib. II. Metam.

Petr. Riaden. lib. 6. vitæ S. Ignatij cap. 9.

Ioā. Crucius, domesticus obsonator homo simplicissimus, & feruens spiritu ex D. Ioannis Lateranensis templo vesperi domum reuerteretur, ad amphitheatrū, quod vulgo Colosseum dicunt, in hominem incidit, qui in manum illi centum nummos aureos silentio tradidit. Eius affectu plurimum Ioannes commotus est, & horrore quodam perfusus: tradita enim homo pecunia, ex oculis mirantis subito euanuit.

§. X.

Iterum pecunia S. Ignatio, à Deo mittitur.

Alias etiam, dum idem Ioannes summo mane obsonatum it, obuiam illi factus est quidam, qui marsupium aureis nummis plenum in manum dedit. Et, quod nondum plane illuxisset, quis esset, agnosci non potuit. Obsonator certe noster Demonem suspicatus, eiusq; timens insidias, in templum D. Mariae supra Minervam, quod proximum erat, se repente coniecit, precatusq; Deum est, ut se dolo, & fraude omni liberaret. Pecuniam domum allatam, adulterinam nonnulli suspicabantur, & à Diabolo, ut nobis imponeret, prestigijs quibusdam adumbratam. Sed tamen vera, & recens, & aurea fuit: eaq; debita soluta sunt. Eodem penè tempore, in alia nostris difficultate versantibus, dum in  
propa-